



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis Ioviani Pontani amorum libri II.

Pontano, Giovanni Gioviano

Venetiis, 1518

Tumulus fuscæ matronæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13534

A' puero mihi culte senex Gallina ualeto
Perpetuum, & Catinæ uiue perennis honos.

L A V R E N T I I M I N I A T I
Astrologi.

Quid numeras Miniate? nihil numerare necesse est,
sydera sub pedibus qui modo cuncta uides,
cuncta suos agere anfractus, seq; ordine summo
Cogere, & errores rite subire suos.
Ne numera Miniate. quies tibi parta. quiete
Utere, & humanis exue te studijs.
Ipsa quies deus est. deus est & uita bonumq;
Vita bonumq; simul. utere utroq; simul.
Exutusq; hominum curis, rebusq; molestis
Laurenti æterno rite fruare bono.
Nos nemores ueteris studij, socij q; laboris
Hæc tibi pro sanctæ munere amicitiae.

F U S C A E M A T R O N A E.

Centum Fusca procos habuit, nec casta cubile
Polluit, aut sancti iura uerenda tori.
Centum Fusca procos risit, coluitq; maritum.
O' raram in longi posteritate fidem.
Hoc uirtutis opus dura inter & aspera sese
Erigere, & fortis exeruisse manus.
Vixit Fusca igitur celebris post fata, fidemq;
Testantur nullo marmor aucta situ.